



9

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
CANCRORVM
FLUVIATILIVM VSV
MEDICO

QVAM
DEO O. M. AVSPICE
IVSSV GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ

P R A E S I D E

D. JOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINÆ ELOVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO

ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE

PRO LICENTIA

GRADVM JVRA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
MORE MAIORVM RITE CAPESSENDI

a. d. MART. M DCC XXXV.

H. L. Q. C.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET
AVCTOR

SAMVEL DEVBLINGER

ELBINGA - BORVSSVS.

HALAE MAG DEEVRGICAE

Typis JO. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

MVRCOMBO

WILHELMUS DE LIPSI

DEUTSCHE

GESCHICHTE

INCLYTAE
REIPUBLICAE ELBINGENSIS PROCERIBVS
PATERIAE PATRIBVS
VIRO
ILLVSTRI ATQVE PER MAGNIFICO
DOMINO
BVRGGRAVIO REGIO
VIRIS PERMAGNIFICIS GFNEROSIS MAGNI-
FICIS PRAENOBILISSIMIS AMPLISSIMIS CON-
SVLTISSIMISQVE DOMINIS
DN. PRAESIDI
PRAECONSVLIBVS
CONSVLIBVS
DN. PATRONIS MAECENATIBVS, FAVTORIBVS
ET PROMOTORIBVS SVIS
SVMMA MENTIS VENERATIONE PROSEQVENDIS

CVM VOTO
OPTIMI CONSILIORVM SVCESSVS
ET
OMNIGENAE PROSPERITATIS
DISSERTATIONEM HANC IN AVGVRALEM
IN GRATAE MENTIS TESSERAM
ET
AETERNAE OBSERVANTIAE TESTIMONIVM
EA QVA DECET PIITATE
D. D. D.
TANTORVM NOMINVM

obsequiosissimus

SAMVEL DEVBLINGER.



PROOEMIVM.

Medicina cum sit rerum salubrium & insalubrium scientia, haud magno labore opus est, ad intelligendum & demonstrandum, quod rerum tam simplicium, quam ex his compositarum intimiori cognitione vel imprimis opus habeamus, si de sanitatis conseruandæ præsidii, labefactatæ originibus, reparandæ auxiliis, eorumque adPLICANDI modis & temporibus, rectum ferre iudicium velimus. Nam hæc sunt media, a quorum recto debitoque usu vitæ & sanitatis conseruatio pendet, ab iisdemque male adhibitis morbi producuntur & fouentur, rursusque eadem optatam homini valetudinem restituere apta sunt et idonea. Nihil itaque mirum videri debet si in

A 3

Medi.

Medicorum ordine, inde ab Asclepiadarum temporibus ad hunc vsque diem, semper fuere summi celeberrimique Viri, qui cum omni, quam latissime patent, silvæ medicinalis materiae studium & operam suum impenderunt, tum illi præcipue parti quæ ea continet, quibus ad vitam conseruandam, mortales singulis diebus vtuntur, quæque alimento rum nomine complecti solemus; quorum aliqua non mediocres vires etiam medicamentosas possident, quibus tempestiue adhibitis multum prodesse possumus, cum secus adhibita conspicue nocere queant. Præcipua huius generis sunt aqua vinum, lac, & ex lacte paratum serum, quorum vires præclaras scriptis suis passim inculcauit, singularibusque commentationibus illustrauit Medicorum nostri seculi perillustre decus & Academiæ huius Fridericianæ Venerandus Senior DN. FRIDERICVS HOFFMANNVS Fautor & Præceptor meus omni ætate colendissimus, qui in omnibus prælectionibus suis commendare & inculcare solet, vt medici eam præcipue partem medicinæ, quæ diætetica vocatur, eximio studio collant, vt valeant tam sanitati conseruandæ, quam amissiæ recuperandæ recta consilia suppeditare. Et sane si dicere quod res est licet, innumera sunt morbos expugnandi præsidia pharmaceutica: nec quic-

quicquam derogare illorum veris laudibus cupio:
ita tamen persuasum habeo, quod raro liceat me-
dicamentis id efficere, quod cupimus, nisi in sub-
sidium diæta vocetur, quam antiquissimi medici
tam efficacem iudicauerunt, vt sola hac, etiam
sine pharmacis, aut saltem paucissimis pharmacis
adiecit, præclarissimum facerent operæ pretium.
Sperauit itaque operam me non lusurum esse, si
thematis inauguralis loco examinandum sume-
rem argumentum, quod non minus ad alimen-
torum doctrinam pertinet, quam ad medicamen-
torum classem referri meretur: scilicet cancros
fluuiatiles mihi elegi considerandos, quos notum
est culinas frequenter intrare, mensarumque vi-
bus apparari; sed & varia officinis pharmaceuticis
præbere paucis ignotum esse potest. Constitui
autem ea, quæ ad naturalem historiam pertinent,
paucissimis attingere, taliaque desiderantem ad
ARISTOTELEM, ALDROVANDVM SACH-
SIVM & caeteros a SACHSIO in præclarissima
Gammerologia frequenter citatos, vt & a D. D.
BOECKLERO ad HERMANNI Cynosuram Ma-
teriæ Medicæ insuper adductos, auctores remitte-
re, mihi autem ea potissimum, quæ vsum medi-
cum spectant, commendata habere. Fauxit DEus
vt conatus nostri feliciter cedant,

§. I.

§. I.

Cancer fluuiatilis est, quem in his nostris terris
hoc nomine omnes censem, de quo nos
scribimus, parum solliciti de illa controuer-
sia, quam eruditi viri agitant, rectiusne astaci
an gammari nomine appellari debeant. Am-
plissime de eo disputauit Silesiæ Medicorum decus
PHILIPPVS IACOBVS SACHS, a quo hauriendas
dissentientium rationes, cuicunque eas scire volupe
est, commendamus. Nobis sufficit, quod in officinis
hodie nullum aliud quam cancri nomen cognitum sit,
nec periculum ullum esse possit erroris, hoc nomine re-
cepto vtentibus, cum in nostris regionibus non inue-
niatur animal eodem nomine designatum, vt error ab
homonymia oriri possit.

§. II.

Est autem cancer, nostrorum fluiorum & lacuum
incola, animal amphibium caudatum, omnibus notæ
figuræ, binis chelis, tanquam brachiis, & octonis pedi-
bus articulatis præditum, & cauda in appendices hir-
sutæ terminata, ad expeditius natandum instructum, coe-
terum crusta tenuiore per totum corpus secundum du-
ctum omnium membrorum obvelatum, ita tamen
artificiose per crebras incisuras coagmentata & adapta-
ta, vt diversis motibus locus relinquatur: quam ipsam
crustam rato tempore quotannis deponit, novamque
& corporis auctiori moli accommodatam nancisci-
tur.

§. III.

§. III.

Cancrorum fluuiatilium diuersitates essentiales non inuenio, accidentales eas puto, quod alii, aliis in fluuiis maiores obueniant, carnemque molliorem ac sapidiorem præbeant, alii minus conspicuam magnitudinem consequantur. Video quidein distingui inter saxatiles, qui germanice vocantur Stein-Krebse, raroque digiti longitudinem assequuntur, elixi vero in supina parte albedinem rubedine distinctam præferunt: & maiores quos alicubi vocant nobiles Edel-Krebse, qui elexati corallinam rubedinem induunt, præsertim si recenti erasta nuper inductos coquas: nam in illis quorum crusta iam vetus est non raro conspicuam nigritiem interpolatam animaduertere licet. Sed cum tamen minores isti, quam maiores easdem partes habeant, eandemque partium conformatiōnēm, nec quicquam, in quo essentialiter defferant obstruatum sit, accidentalem hanc differentiam parum curare licebit. Referri quoque posset de illa satis notabili differentia, quod vnius fluuii vel lacus aut amnis cancri præ alterius incolis longe meliores succulentiores sapidioresque inueniantur, & quod isti, quos aquæ stagnantes & piscinæ alunt deteriores semper sint ceteris, quos fluuius vel amnis enutriuit. Si quid licet de cauſa discriminis adferre, puto istud certum esse, quod fluuius non valde rapidus, quique supra limosum fundum fertur, ripasque arboribus & virgultis consitas habet, prataque lete graminosa attingit, & maiorem cancrorum copiam alat & salubriores pinguioresque foueat: e contrario autem flu-

B

uui

uii per apricos campos decurrentes, altiores ripas & praecipites habentes, multumque arenæ secum deuoluentes, rarissime beatam bonorum canceroru[m] copiam afferre soleant. Nam cum canceri ament latibula, quibus abditi degant, sub radicibus illa facilius parantur, quam in fundo arenoso: & cum pastus causa soleant fluuios noctu[r] relinqueret & in prata excurrere, facilius cognoscitur, ibi & libentius & commodius hoc animal degere, vbi hæc copia suppetit, quam vbi illa destituitur.

§. IV.

Facile ex dictis colligitur, quis sit in canceris deleetus habendus, siue pro culinis siue ad usus pharmaceuticos desideres. Salubriores certe erunt ex saluberrimis aquis, deteriores ex stagnantibus & putridis capti, quorum non solum sapor minime gratus est: verum etiam carnes & succus non poterunt perfectam salubritatem corporibus nostris afferre. Porro consequitur alimentum copiosius eos esse præbituros, qui in suo genere pinguissimi optimeque habitu sunt, quam qui macri aut prorsus in edia confecti, iamque animam agitantes decoquuntur. Tales autem saepe esse solent, qui aliis locis capti, aliorum deuehuntur, quos in mensam allatos magna parte vacuos, de reliquo autem macros & exsuccos inuenimus. Solent multi, tanquam rem certam, perhibere cancros pinguiores plenioresque esse luna crescente vel plena, quam eadem decrescente vel omnino non lucente. Mihi vero nullum est dubium, quin quovis lunæ tempore, aut phasi quauis, omnino plenos succulentosque cancros habere possimus, si idoneum ipsis nutrimentum suppetat: omniquoque iam captos & in-

& inclusos cancros saginari posse tam decrescente & nulla, quam crescente & plena luna, quotidianis experimentis abunde comprobatum est. Quod autem plerumque melius habiti capiantur lucente luna, quam silente, eius caussam forte non male coniicient illi, qui proximas caussas querunt, in maiorem commoditatem noctu in proxima prata vel agros cultos expatiandi, luna prælucente, quam vbi spissa caligo noctis iter istud difficile reddit. Nam a fide dignis & oculatis testibus accepi, quod multis locis rustici incredibilem cancrorum copiam hac arte capiant, vt post medium noctis egressi terram prope ripam fluminis ad pedis vnius altitudinem facta fossa egerant, in quam a pastu sub auroram reuersuri ad fluuium cancri incident, sicque facilissimo negotio copiose colligi possunt. Curiosum tamen est quod HENRICVS MVNDIVS Operum p. m. 285. refert in India contrarium fieri, & luna silente & tempore inter mestri succi plenos esse; luna autem plane illustrata pene languere cancros, idque ad Regiæ Scientiarum Societatis petitum accurate explorasse, inque litteris suis ad dictam Societatem confirmasse Præsidem Bataviæ Iauensem. Quæ res cui forte causæ tribuenda sit, nobis utique tanto obscurior est, quo minus licet illarum regionum omnes conditiones examinare & cum natura cancrorum ibi degentium conferre.

§. V.

Apparet ex iam dictis, cancros fluuiatiles pasci vegetabilibus. Sed & eosdem carnibus delectari, seseque implere, a multis obseruatum est. Piscatores enim iam captis & in vivario asseruandis pro nutrimento obiicere solent conchas aquaticas, quarum incolas satis auide con-

sumunt. Visi etiam sunt cadaueribus in aquam proiectis ad hæretes, carnesque aude deuorantes. Nihil itaque dubitandum est, quin cancer fluuiacilis tam vegetabili quam animali nurriatur. Quando languidi inculinas afferuntur, solent illos coqui & matres familias cerevisia generosa large aspergere, qua ita reficiuntur, vt deinceps grama & præter cetera iucundissime urticam aude comedant, hocque modo in caueis subterraneis satis diu viui seruantur. Ante quam elixentur lacte dulci asperso, quod satis scito obliguriunt, expedit, vnde si post vnam vel alteram horam decoquantur, molles succulentique & sapidi redduntur. Accepi autem non consultum esse illis, quos diutius afferuare cupimus lacte implere, quia non durabilis esse obseruatum sit.

§. VI.

Minus esui aptos cancros nostros germani nostri existimant istis mensibus, quorum nominibus littera Rineſt, id est tempore hiberno & veris prima parte, deinde etiam autamni parte maxima, Sed SEBIZIUS de alim. fac. Lib. III. p. 1013. præcipue expetendos mensibus Martio & Aprili scribit, quod tunc sint corpulentiores. Aliqui ſcorſim expetunt illos, qui iam in eo sunt, vt deponant erustam veterem, cui iam noua subducta integra & separabilis subeft, quam totam iucunde comedunt indeque singularem virtutem medicam ſibi promittunt. Eiquidem non repugno illorum iudiciis, præsertim cum ad gustum, de quo non disputandum esse proverbiū monet, arbitrium defertur: videtur tamen mihi non iniuste dubitari posse si ex capite ſalubritatis controuersia hæc deiudicanda fit: nam tunc temporis animal hoc languere ſolere pifcatores norunt,

norunt, nec facile alio tempore plures in viuario emori experienria docente confirmant: vnde rem hanc vltiori experientiae decidendam permittere malo. Facile quoque patior sensu suo abundare illos, qui femellas cancros & ouis repletas maribus præferendas existimant. Forte ratio hinc pendet, quod femella semper maribus minores minus durani carnem nuncilcuntur, aut quod in latibulis plurimum tempus degunt, adeoque fibræ suas haud ita rigidas labore reddunt quam quidem mares solent.

§. VII.

Salubritatem in omni animalium genere plus vel minus auferunt morbi: quibus detentos quoque cancros si cognoscere id liceret, repudiandos esse facile largior. Iam supra dixi eos vitari debere, qui ex infalubribus aquis, paludosis, & corruptis capiuntur? Tales vero cognoscuntur, si quis partem inferiorem, cui pedes adhærescant a crusta separari auulsam confideret, quæ si nigricat & cirris inhærentes pediculos ostendit, certo cognoscet animal ex tali aqua allatum, dubietque salubritatis esse; quare tutius agunt, qui se illo abstinent. Inter morbos animalis huius referuntur etiam illæ intricatae venæ albæ, quas autumnali tempore in canceris inuenimus, quos doctissimus WELSCHIVS de Vena Medinenſi p. 139. dracunculos vocat, verisque vermes esse, non huic solum animalium generi, sed longe pluribus infestos eruditæ comprobat, & ad viuum deleneatos sistit. Quare quo tempore illi in canceris obseruari solent, ab esu illorum commodius abstineri cum GESNERO aliisque doctis viris existimamus.

B 3

§. VIII.

§. VIII.

Qui in alimentorum facultates igne inquisuerunt, commemoerant nobis inde educi phlegma copiosum, quod subsequitur spiritus empyrevma olens, tum parum salis volatilis, denique oleum foetidum prouenisse, tandem in retorta caput mortuum remansisse, quod aqua affusa instar calcis viuæ effervescat: vid. ETMVLLE-RVM in *comm. Ludov.* p. 165. quæ eadem esse piscium omnium destillatione, quia animalium omium simili tractatione, impetranda satis superque notum existimo. Non immorabor huic examini, quippe quod nobis principia & partes constitutivas animalium satis accurate prodere haud valet, et si generalem ideam præbet eorum, quæ ad mixtionem corporum illorum accesserunt. Si aliis modis minus violentis rem adgredimur, principium quidem terreum satis crassum & copiosum ostendunt crustæ, præcipue chelarum, deinde vero etiam sic dicti oculi seu lapides cancerorum. Constat ehas partes terra & macilagine docet nos facilis experientia, si modo aquæ forti committere velimus, quippe exesa & soluta parte terrea in fundo remanet mucilago quedam figuram sui corporis satis distincte retinens. Hoc ipsum mucilaginosum efficit, ut lapides diæti prodant empyreuma, quando igne tractantur. Si recentes cancros in mortario contundas, præloque subiicias, dabunt tibi succum copiosum, de quo deinceps dispiciemus. Si residuum ab illa expressione, carnes scilicet & crustas pingui aliquo decoquas, illa pinguuedo rubedinem notabilem attrahit, eodemque tibi patebit esse in cancris aliquid pinguedini analogum, quod sulphureum dicere possis, seque non aquæ, sed homogeneo pingui associat.

Sal

Sal autem volatile, quod chymici se accepisse commorant, sub ipsa destillatione vi ignis, per nouam compositionem materiæ idoneæ, generatum esse mihi videatur & in canceris sine certi ignis gradus adminiculo demonstrari non posse omnino persuasum habeo.

§. IX.

Quia sanguine cancer caret, ab omnibus fere humida & frigida eius natura perhibetur, vnde potissimum aqueam sanguinis partem augere, amissamque restituere docent: quod equidem minime inficiari velim. Neque tamen video, quid impedit, quo minus animal sanguine præditum ex cancro etiam illas partes, quæ sanguinem proprie dictum constituit nancisci queat, præfertim cum facilis transitus rubedinis in admixta pin- guia vero hoc reddat simillimum. Saltem non dubito ex canceris fluuiatilibus comeditis chylo commodum supplementum trahi posse, quod deinde in sanguinem bonæ notæ transeat, nostroque corpori nutriendo seruat. Certe enim cum & alia exsanguia, e. g. ostrea, optimi alimenti esse cognoscantur, id que visum in multis fuerit, quibus hoc edulii genus marcorem abstulit, viresque deperditas conspicuo fructu restituit: cur idem a canceris expectare non liceat, idoneam rationem nullam inuenio.

§. X.

Carnes cancerorum perhibentur duræ; quod ita intelligendum est, vt tardioris concoctionis, respectu aliarum carnium deprehendantur. Et sane visum est in aliquibus, qui vomitoriam medicinam sumferunt, eiecta fuisse satis magna frusta carnis ex cauda cancri auidius, ante duos tres pluresque dies deglutitæ, quam diligentius masticataæ. Verum enim ve-

ro multa hic essent probe distinguenda. Nam cancerorum quorumuis maiorum & annosiorum duriores fore carnes quam iuuenum, facile intelligitur, & qui bono alimento vni sunt molliores utique dabunt carnes, quam qui prauo. Forte etiam ipsa copia ciborum ventriculo immisorum cruditatibus relinquendis causam dedit. Nam absolute de omnibus id pronunbiare nolle: ad minimum excipiendi essent canceri saxatiles dicti & ex reliquis iuuenes & qui sunt sexus feminini.

§. XI.

Progedimur nunc ad illam quæstionem quæ præcipua est in toto hoc argumento, salubre ne sit hoc edulium, tam sanis, quam affecta valetudine laborantibus. Evidem nescio, quis absolute damnaverit: & sponte consequetur sanis nullo modo noxiū aut damnosum esse posse, quod cum graui morbo conflictantibus etiam commendatur. En autem tibi cancerorum commendatorem dabo virum laudatissimum Excell. D. D. RIVINUM diff. medic. p. 142. De gammaris, inquit, notissimum est, aduersus phthisin optimos existere, quatenus acidum destruant, in hoc affectu communiter peccans. Si quid enim aliud, certe cancri fluiuariiles, præsertim quando testas deposuerunt duriores, mire prosunt ad aerimoniam illam obtundendam in scorbuto, malo hypochondriaco, doloribus lienis. arthritide &c. prout dicimus experimento non uno, cuius remedii vires vel ideo extollende sunt, quod sine molestia imo vero cum iucunditate potius aliqua, tantum assumi que at una vice, quantum vix pluribus dosibus de puluere absorbente capi solet: Singularem itaque usum illius reticere haud possum hoc in loco, quem femina melancholica inde percepit; siquidem frequenter fugammarorum, cum medicamenta detectaretur unice restituta est. Huic adda-

addamus ex Excell. D. D. PRAESIDIS Fautoris & Preceptoris mei summa obseruantia colendissimi diss. de Viperarum vsu medico Altorfii habita haut multum dissimilem commendationem. Nam cum ille varia, quæ viperis substitui possent, proposuisset, de cancris fluuiatilibus mentionem injicit §. 38. & sequentem in modum scribit: Familiariter usus sum in Saxonia viro honorato & multum peregrinato, qui magno valetudinis suæ commodo hac dicta quotannis utebatur, eiusque beneficio scorbutica, quibus vexabatur, pathemata feliciter propulsabat: fere autem quoquis prandio & cena asparagos iungebat, Si aliquos dies sic transegerat, letus conspiciebat in cute passim erumpentes maculas rubentes, quæ, eadem dicta continuata, euanecebant, ipsa cuticula multis locis squamarum instar destluente. Illud macularum rubrarum a cancrorum repetito & copioso vsu efflorescentium phœnomenon semel hic quoque intueri in studio quodam licuit.

§. XII.

Addimus testimonium HENRICI MVNDII, qui Oper. p. 285. ita scribit: cancri fluuiatiles astacis figura proxime accedunt, sed sapore minus salti sunt & multum minores. Horum & carnes & succus expressus, quia refrigerant & huicmeant, eabidis & heclicis profant, squille, paguri aliisque crustacei ab his qualitatibus parum discrepant. Nulli crustacei prurigine, aliae psora laborantibus, vti nec saltem, conueniunt.

§. XIII.

Evidem nescio quid sibi velit vir doctissimus, quando crustaceorum vsu interdicit prurigine & psora laborantibus, & an vera circumspeteque obseruata nostrarum exempla habuerit. Si nihil aliud, quam hoc forte vi-

te vidit, quod prurigo ad cutim maior redditur, & quod exanthemata forte quædam erumpunt, propterea equidem nolle vel omnem vsum prohibere, vel continuationem edulii dissuadere: quum per superficiem euanuari, quod in humoribus noxiū fuit, omnimode proficuum & salutare existimem. Memini ex laudata dissertatione, de viperis, quod sub continuato vſu eueniant etiam satis grauiā quædam symptomata, quæ mecum in cutere merito debeant: sed ita hæc sunt necessaria, vt verum plenumque fructum a curatione viperina non accipere sine istis liceat. Sed de hoc latius hic agere proposito meo detineor. Si vero Mundius graviora vidit, qualia multi docti viri de mytulorum esu annotauerunt, & nuperim Exc. D. D. BEHRENS diff. Epist. ad celeb. D. D. Werlhofium, disquisitioni eius de variolis & anibracibus subiecta, eruditissime euoluit, videndum erit, an non marinorum peculiari vitio, forte morbo debeat. Certe fauet considerationi obseruatio de squillarum minorum esu, subsequentे semihorulæ post pastum spatio, vomitu pruritusque molesto cum maculis totam cutem obsidentibus, de qua legimus Mſc. A. N. C. dec. II. An. III. obſ. 411. Nam tale quid de canceris fluviatilibus vñquam obseruatum esse nullibi reperio.

§. XIV.

Succus cancerorum fluviatilium variis modis ad vſum medicum vocatur: intelligo autem illum, quando vitri cacri, in mortatio contusi, exprimuntur. Talis laudatur in intestinorum inflammatorum & acrimonia corruptæ materia arroforum vitiis, quale quid in dysenteria, itemque nimia purgatione, aut à venenis, induci solet. Additur talis succus clysteribus, indeque non solum

solum æstus nimii contemperatio, verum etiam dolorum mitigatio, tandemque consolidatio ad votum consequitur. Nec contemnendum est RVLANDI experimentum, qui in grauiori capit is dolore, ipsisque coniunctis deliriis, commendat succum cancerorum fluuiatilium, croco, si placet, & opiate quadam medicina, ut theriaca, maritatum fronti applicandum. Aliqui ad clausos pedum vtuntur hoc euporisto. Cancrum viuum minutum in mortario contundunt, totamque hanc portionem in tres partes diuidunt, quarum quamque linteolo exceptam clavo successiue imponunt & per viginti quatuor horas relinquunt. Ita fere fit, ut intra istud triduum clavis ita emolliatur, ut integer cum radice sua facile euelli possit. Denique vidit etiam Ex. D. PRAESES feminas, quæ oua cancerorum, in pulpam contusa, faciei induxerunt, ibique exsiccati permiserunt, ephelidum abstergendarum & tollendarum causa, quod tamen non omnibus æque ad votum successisse compertum habet.

§. XV.

Officinæ seruant, multisque ægrotantium usibus suppeditant, lapides cancerorum, quos vulgo vocant cancerum oculos. Non vacat mihi dispicere de natura & origine huius lapidis, quem alii morbum animalis esse contendunt, alii ex superfluo semine generari existimant. Evidem in medio hæc posita relinquo, dum nemo dubitat genuinos hos lapides præclarum usum habere. Adulterini autem facile cognoscuntur, si quis eos diffingat, attendatque an habeant strata sibi inuicem superposita, quod genuinorum proprius est character, quibus adiici possit experimentum cum aqua forti instituendum

C 2

cuius

cuius supra mentionem fecimus. Habentur autem hi lapilli vel elixis exempti, qui albi sunt; vel e viuis accepti, quando in vitario detentis crusta vetus excidit, atque hi cœrulescunt. Non possum probare illorum iudicium, qui cerulescentes præferunt: multos enim inter illos etiam esse a mortuis, aut ægrotis, vero admodum est simile, quos, ut existimo, avari pescatores colligunt, ut vel aliquem fructum capiant. Nam in illis, qui veterem tunicam rite deposuerunt, hos lapides etiamnun ventriculi tunicæ inhærentes videamus, planeque præternaturale videtur, si ille lapis cum crusta discedente simul elabatur.

§. XVI.

In puluerem comminutæ & levigatæ nomen præparatorum accipiunt, atque sic utiliter adhibentur, ubi cunque absorbente medicina opus est, aut tali, quæ acidum ventriculi nimium infringat. Tanto utilior est hic pulvis, quoniam si cum acido conflxit & ab eo saturatus est, in liquamen salsum abstervatum abit, siveque per aluum facile promove ur, cum simplices terræ, tantoque magis metallico rudimento imbutæ, naturam aluminosam aut vitriolaceam induant, a quibus subinde graues turbæ excitari solent. Amplissime patet illorum usus, quoniam intelligi potest, plurimis locis nos indigere acidum infringentibus, nimiam humiditatem absorbentibus, halituosos tenuissimos vapores intra poros suos detinentibus, siveque certo sensu sigentibus nimis volatiles. Magis recentiori aeuo, quam prisco, commendatam & frequentatam hanc medicinam fluuisse, facile cognoscemus si dispensatoria percurrere placeat. Certe memoria mea non occurrat antiquior compositio, quam

quam ingreditur, puluere stomachico Birckmanni, qui & ad auctorem Iosephum Quercetanum refertur, quos seculo XVI, exente vixisse constat. Quam vero multo plus nunc frequententur, docere nos potest nouissima editio *Dispensatorii Regii & Electoralis Borussio-Brandenburgici*, vbi accesserunt aliquot pulveres ab Illusfr. STAHLIO nomini habentes, quorum partem faciunt hi lapides vel præparati vel succo citri saturati.

§. XVII.

Sed liceat ordine percurrere omnes pulueres officiales & de vſibus ipsorum differere. Habent itaque hos lapides I. puluis bezoardicus Sennerti, II. bezoardicus Anglicanus, in quo ponuntur succo limonum præparati, III. absorbens citratus Stahlit IV. absorbens nitratus eiusdem ut & V. absorbens tartarifatus, vbi loco acidi limonum aut citri, adhibitus fuit tartarus albus sufficienti aqua solutus, & cum his lapidibus præparatis coctus. VI. puluis antimoniales albus Stahlit, VII. puluis Antinephriticus incerti auctoris itemque VIII. puluis contra calculum, IX. contra casum, X. contra febres, XI. Cordialis, XII. Galactopoens XIII. puluis incidentis Stahlit, XIV. pleuriticus XV. precipitans XVI. Stomachicus Birckmanni. Vel solus hic index ostendit, quam multis indicationibus hi lapides idonei fuerint estimati. Evidem non audeo affirmare, quod & que in omnibus spei atque expectationi sufficiant. Certe lithentripicam valde vereor inniti persuasiōni isti, que ex signatura rerum vires estimare & cognoscere sperat; quem tamen tota res forte plura argumenta, quibus confutetur, habet, quam quibus confirmari possit. Neque dubium est, quin usus bezoardicus, si stricte species promissa auctorum, valde dubius videri debet, cum forte

C 3

nemo

nemo his lapidibus solis aliquod operæ pretium fecisse gloriari possit. Sed optimi viri, qui talium auctores extiterunt, dum plura huius generis terrea illis imposuerunt, respexisse videntur eo, ut halitus & acri materiae, quæ ad superficiem intestinalis tunicæ subinde deponerent, aliquid obiicerent, in quo hærere seque insinuarere posset, ne, quando vaporis aut tenuissimi fluidi forma vagaretur, illico ab aliis poris absorpta, in massam humorum rediret nouasque turbas cieret.

§. XVIII.

Præstantissimus est usus resolutorius horum lapidum, si lapsis, contusis, vulneratis drachma una aceti boni vincia una vel altera mixta, per interualla crebra exhibantur. Sic enim resolutorium effectum præcipue laudabilem edunt, & noxas a stagnatione & coagulatione metuendas, feliciter auertunt. Poteſt, si hoc placet, loco simplicis aceti exhiberi rosatum & addi pro edulcoratione syrupus violarum aut de cichoreo, vel diaſereos Andernaci. Atque hanc chirurgis omnibus notissimam utilitatem spectasse videntur, qui hos lapides cum succo citri, limonum, vel tartaro præpararunt, præparatos autem scopo resolutorio, in variis morbis, præcipue autem petechialibus & purpuratis, crebro adhibent. Sed eosdem acidum porro absorbendi & corrugandi scopo frustra destinaueris, quem si desideres, oportet adhibere simplici tritura & laevigatione præparatos. Notari hic meretur abusus nonnullorum qui hos lapides frequentius & copiosius ingerunt hominibus, quibus aliquando visi sunt cum muco intestinali in concretiones abiisse lapidescentes, multaque intestinalis mala detinisse, donec vel multum adhibitis humectantibus, vel cly-

clystere infuso, ad exitum deducerentur. Atque hanc cauſam existimo, cur aliqui non facile eosdem exhibere velint, niſi cum ſale quodam medio digestuo coniunctos: quod ut non ſemper neceſſarium, ita ſine errore magno fieri existimo. Qui librae vni vini rhenani drachmam vnam vel alteram horum lapidum immiſcent, idque mixtum bibere jubent, ſcopo resolutorio non quidem gratiſſimam, ſed tempori & loco ſatis aliquando conuenientem medicinam nancifuntur.

§. XIX.

Chelæ cancrorum, ſeu potius apices illorum nigri, ad parandum puluerem bezoardicum Anglicum, feorſim expetuntur. Percepi a quibusdam laudari hos apices, quia plerumque aliquid carnis, & nouæ tunice in crustamabituræ, in illis haeret, quod ſimul exſiccatum & comminutum ſingularem efficaciam diapnoico-diaphoreticam præſtare afferunt. Evidem affirmare nolim, vel quod omnino vana ſit haec expectatio, vel quod memoratu dignum factum ab hiftam exiguis reliquiis confidenter ſperare queas. Si quis ſolas chelas adhibere voluerit, & patienter attendere, cognofcet quantum facturæ ſint opera pretium.

§. XX.

Venio ad alia præparata, quæ vel in libris medicorum practicorum laudantur, vel officinalium catalogo inserta leguntur. Sunt itaque, qui aquam deſillatam cancrorum phthifificis magnopere commandant, eamque vel simplicem, vel adiectis aliis ex animali & vegetabili rengno parant. Sed haud fatis video, verene aliquæ vires cancro-

cancrorum reficientes in destillatum tale transfire possint, valdeque vereor ne talis aqua solum elementare humidum principium sitat. Certe præstiterit talia decoquere, indeque confectum iusculum præbere, quam iners destillatum, cum temporis & impensarum iactura, parare. MYNSICHTVS, ex canceris & herba chelidoniæ maioris, parat aquam ophthalmicam, quam in inflammationibus, vulneribus & pustulis oculorum magnificat: quæ quid præ aliis singulare effectura sit, equidem non video & experientiæ permitto. Hanc porro aquam aliqui destinant ex seminibus cydoniorum vel psyllii purandis mucilaginibus, quas vix spero hinc efficaciores fore, quam si alia quacumque aqua easdem paraueris. Alicubi etiam invenio *essentiam oculorum canceri*, quam parant pulveri tenuissimo lapidum affundendo oleum tartari p. d. dupla ad puluerem proportione. Deinde humiditatem omnem euocant, affunduntque spiritum vini gallicum, quem, diurna digestione accedente, tinturam rubicundam adeptum, deinde effundunt, potiorique spiritus parte destillatione euocata residuum sub hoc nomine asseruant. Meretur titulum absurdæ præparationis, certeque a lapidibus cancrorum frustra aliquid hic expectabis. Non minus errare illum existimo, qui eodem liquamine alcalino imbutos & exsiccatos loco humido exponeret, idque liquamen quod accepturus est, liquoris, vel olei aut salis horum lapidum nomine venditare vellet.

§. XXI.

Tandem etiam meminisse oportet cancrorum fluuiatilium combustorum, quorum cinerem iuvare illos

los, qui a rabido cane morsi sunt, magno antiquitatis consensu prohibetur. Recentiores quidam, ut POTERIVS & MICHAELIS cum ETTMULLERO, augent prouidentium, & cineres hos cum aqua propria exhibitos efficaciores fore promittunt: quod suo vtique loco relinquendum putamus, magnopere tamen veriti, ne tanto malo impar athletæ obiciatur. Atque hæc sunt, quæ de cancris fluiatilibus, eorumque usu, proferre nunc licuit; quæque benevoli lectoris iudicio & æquitati permituntur. Claudio nunc riuos, Deoque Ter Optimo Maximo pro concessis ad hunc diem viribus ad decurrentum stadium medicum, gratias ago humil-

limas, ab eodemque prosperum mearum rerum
successum deuotissima pietate
efflagito.

F I N I S.



D

NOBI-

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
S. P. D.
P R A E S E S.

OMne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
poeta canit. Videris TV mihi ad eam
gloriam, laudanda sane ambitione, ad-
spirare, qui & initio TVAE dissertationis
declarasti, quantum incundioribus, quæ per dietam
absoluuntur, curationibus tribuas, & totam commen-
tationem hanc inaugurealem suscepisti, vt ostenderes
quantum fructum capere ex cancerorum fluiatilium
tam esu, quam reliquo usu, liceat. Sed fere metum
incusisti producenda Mundii admonitione, qua is ab-
stinere cancerorum esu iubet illos, qui pruriginoso
aut scabioso affectu quodam laborant. Enim uero
cum is in eodem sermone sal samentorum usu illis in-
terdicat, suspicor fere hoc fieri ob eam caussam, quod
illico maioris pruritus in parte affecta sensus percipi-
tur: quem veteres practici adeo non extimescebant, vt
potius suum sal viperarum maxime prodesse, continua-
to usu, spoponderint; et si non ignorabant eandem dolo-
ris

ris exacerbationem initio statim exoriri. Sed hac
missa facio. TIBI gratulor felicem stadii medici,
quod in academiis perficiendum erat, decursum: ap-
precior autem laboribus practicis ita TE nunc tra-
das, ut, diuina gratia adiuuante, omne punctum feras,
labantem valetudinem sustentes, prostratam erigas,
florentem rectis consiliis modereris ac conserues.

Hale Magdeburgicae a. d. XXI. Martii.
cls locc XXXV.

SSG An will im Sprichwort nicht der Krebs Gehn loben
Wenn so der Menschen thun wie jens beschaffen ist.
DU zeigest aber hier, von D^EN ganz andre Proben
Weil DU in DEinem Fleiß nicht rückwerts gangen bist.
D^EN Glücke geh' nun so, wie vormahls D^EN studiren;
Wofür DU iest mit Ruhm den Doctor-Hut erlangst
Es müß Dich allezeit die gleichsten Wege führen
Daß DU nur immerfort in steten Wohlseyn prangst.
Dieses wenige schrieb dem Herrn Doctori
zum steten Andencken.

M. E. M. C.

SSG Eil Du, Geehrter Freund, durch unermüdeten Fleiß
Der edlen Wissenschaft siets suchest obzuliegen
So hast Du auch verdient der Ehre Lorber-Reiß
Drum muß er heute sich um Deine Scheitel schmiegen.
Mit diesem wenigen wolte dem Herrn Doctorando seine
Ergebnheit an den Tag legen mit Anwünschung alles
Wohlergebens

Ehre Gott Jacob Hevelius.
Medic. Studios.

AD summos ARTIS MEDICÆ dum tendis
honores
Accipis & studiis præmia digna Tuis;
Pectoris ecce Tui summo flagrantis amore
Gaudia pando lubens, vota simulque fero;
Sume decus capiti, titulos iam sume superbos
Quæsitos meritis, vigiliisque Tuis:
Inque DEI laudem, Patriæ, propriamque salutem
Nunc fruere ingenio. Sic studuisse iuvat!

Hocce amoris integratissime sue testandi causa
Egregio Candidato apposuit

Joh. Jac. Möller.

SAt nur Gelehrsamkeit in denen ihre Wohnung,
Die sich von Jugend auf um selbige bemüht;
Und bleibt Ehre nur die edelste Belohnung
Bey denen, welche man der Jugend folgen sieht.
So kanst Du werther Freund, mit höchstem Recht empfangen
Die wohlverdiente Ehr; die Deine Aemsigkeit
Dein Trieb, Bemühung, Sorg die Weisheit zu erlangen:
Ja auch die Jugend selbst anjeho Dir anbeut.

Mit diesen weniggen Zeilen wolte dem Herren
Doctorando, seinem werthessten Freunde, er-
gebenst aufwarten.

A. T. B.



00 A 6326 (1)

VD 18

ULB Halle
004 103 416

3





DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
**CANCRORVM
FLUVIATILIVM VSV
MEDICO**

QVAM
DEO O. M. AVSPICE
IVSSV GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ
P R A E S I D E
D. JOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO
ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE

PRO LICENTIA
GRADVM JVRA ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
MORE MAIORVM RITE CAPESSENDI
a. d. MART. M DCC XXXV.
H. L. Q. C.

PVBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBIICIET
AVCTOR
SAMVEL DEVBLINGER
ELBINGA-BORVSSVS.

HALAE MAG DEBURGICAE
Typis JO. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.